

Thomas Lindemann Peter Wasmund

Disputatio Iuridica, De Iure Emphyteutico

Rostochi[i]: Pedanus, 1615

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732453801>

Druck Freier  Zugang




R. N. j. 1615.

Lindemann - Wasmundt. 16

+ Progr.

115

Th. Lindemann (Petr. Wasmündt)
R. u. i. v. 1615.



Disputatio Juridica,
**DE JURE
EMPHYTEU-
TICO,**

Quam
D. O. M. A.

*Scitu atq, auctoritate Amplissimi Fctor.
ordinis in inelyta Academia Rostochiensis,*

PRÆSIDE

CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO VIRO,

Dn. THOMA LINDEMANNO,

J. U. D. & inelytæ Academiæ Rostochiensis S S. LL.

Antecessore ordinario, nec non Collegij Juridici p. t.

Vice DECANO

Pro cingulo Doctorali in utroq, Jure consequendo,

publicè discutiendam proponit

PETRUS WASMUNDT

Brandb. Megapolitanus.

*Ad diem 17. August. in auditorio majori horis
matutinis & pomeridianis.*

∞(o)∞

ROSTOCHI


Litteris JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog.

ANNO M. DC. XV.



DEO AUTORE.

Thesis I.



Prode materia restitutionis in integrum verissime pronuntiavit Ulpianus, utilitatem ejus non egerere commendatione, sed seipsam satis ostendere: id non minus convenienter de Jure Emphyteutico usurpat Jason, dum ejus investigationem perpulchram, disputationem subilem admodum & acutam, exercitationem majorem, quam ullius qua corpore Juris clauditur, esse, testatum facit; adeo, ut non inscite Sicardus, nullius tituli in toto jure majorem esse usum, opinetur. Quare, veram illius cognitionem diligenter investigare, hacq; disputatione ventilare, placuit.

II.

Dicta est emphyteusis, ἀπό τῆ ἐμψυλλέων, quod inserere aut implantare significat, & per translationem meliorare; quia per emphyteusin, id est, insitionem atq; implantationem, agri meliores redduntur.

III.

Solebant namq; veteres pradia sterilia, saxosa, & squalentia, qua ipsi colere volebant, sub certa quotannis pensione solvenda, alijs locare, ut plantationibus & omni politionum culturaq;

genere fertilia ea & fecunda redderent. Quamvis & illud post-
ea receptum, ut res etiam fertiles & cultissima sub emphyteu-
seos lege locarentur.

IV.

Unde quaesitum fuit ab Interpp. num fundus vectigalis ab
Emphyteutico in usu & effectu juris differat: Et quamvis Co-
rasius affirmativam acriter defendat, secusq; sentientes toto cae-
lo aberrare contendat; nos tamen cum Cujacio aliter sentimus.

V.

Definitur emphyteusis, quod sit Contractus Juris Civilis,
stricti juris, & nominatus, quo dominus praedium utendum
fruentum emphyteuticario concedit, ea lege, ut id melius & cul-
tius reddat, & certam annuam pensionem, in dominij recogni-
tionem, ipsi domino praestet.

VI.

Hoc loco inter DD. controversatur, an ad substantiam
contractus emphyteutici requiratur scriptura: & Negantibus
caliculum addimus, ita tamen, ut fateamur, perutile plerumq;
esse, instrumenta fieri, propter pacta prope modum infinita,
quae praeter naturam contractus adjiciuntur.

VII.

Dividitur emphyteusis in Civilem sive secularem, & Ec-
clesiasticam. Civilis dicitur, quando princeps, Civitas,
municipium, & quicumq; privatus, rem, cujus dominium &
administrationem habet, in emphyteusin concedit.

VIII.

Ecclesiastica est, quando res Ecclesia, aliarumve domuum,
& Collegiorum venerabilium, ab Oecono, alijsve administra-
toribus, cum causa cognitione, expedita Ecclesiae, nec ne, in emphy-
teusin traduntur.

IX.

Conceditur emphyteusis tam Ecclesiae & Universi-
tati,

enti, quam privatis, non masculis duntaxat, sed & feminis.

X.

De curialibus tamen & militibus, an & hi Emphyteusim accipere possint, D. D. dubitant? Quin possint haut dubitamus.

XI.

Oeconomi vero & reliqui venerabilium domuum ordinarores, & parentes eorum, & filij, & alij, qui per genus eis, vel nuptiarum jure, conjuncti sunt, Emphyteusim, rerum ipsis venerabilibus domibus competentium, aut per semetipsos, aut per interpositam personam, accipere nequeunt.

XII.

Consistit emphyteusis in re immobili, & quidem tam urbana quam rustici, praedij. Mobilia enim usu non meliorantur, sed, aut pereunt utendo, aut fiunt deteriora.

XIII.

Porro utraq, emphyteusis perpetua est, vel temporalis. Perpetua, si simpliciter, nullo temporis spatio definito, & sic in perpetuum conceditur. Temporalis, si praescripto certo tempore, aut certa generatione demonstrata, constituitur.

XIV.

Perpetua emphyteusis transit ad omnem generationem, & ad extraneos heredes, nulla etiam sexus distinctione attendita, si simpliciter fuerit concessa.

XV.

Et dubium non est, quin Emphyteusis Ecclesiastica ad extraneos heredes descendat, si data sit Titio & quibuscung, ejus heredibus.

XVI.

Nunquid vero rei Ecclesiastica Emphyteusis, Titio ejusq, heredibus simpliciter concessa, non tantum ad descendentes, sed

Et extraneos Titij heredes devolvatur, multam controversa est
questio? Affirmativam nos in puncto juris veriore[m] esse existi-
mamus.

XVII.

Ceterum acquiritur emphyteusis, tribus potissimum
modis; pactionibus, ultima voluntate, & prescriptione.

XVIII.

Formam huic contractui dant precipue pactiones contra-
bentium. Contractu igitur perfecto & absoluto, omnia que
inter contrahentes, super omnibus, vel etiam fortuitis casibus,
pactionibus, scriptura interveniente, placuerint, firma illiba-
ta, perpetua stabilitate modis omnibus custodienda sunt.

XIX.

Quod si ea, que fortuitis casibus eveniunt, pactorum non
fuerint conventionem concepta, siquidem particulare, vel aliud
leve contigerit damnum, ex quo non ipsa rei, in emphyteusin
concesse, penitus ledatur substantia, hoc emphyteuticarius suis
partibus non dubitabit adscribendum.

XX.

Inde in disputationem venit, num propter hostium incur-
sum & bellorum calamitates Emphyteuta à canone sive pensione
in totum vel pro parte liberetur? Ipsam non liberari concludi-
mus, qua tamen in re, ut semper in jure, etiam aequitatis habenda
est ratio.

XXI.

Si chasmate perierint fructus, aut sterilitas agrorum in-
gruerit, aut inundatio aquarum contigerit, quid juris sit, qua-
ritur? Stricti juris ratio ne hic quidem pensionis remissionem
suadet, quamdiu aliquid de fundo superest, videndum tamen
est, ne cum Emphyteuta durius & avarius agatur.

XXII.

Sin vero tanta emerferit elades, qua prorsus, etiam ipsius
rei,

rei, quæ per emphyteusim data est, faciat interitum: hoc non emphyteuticario, cui nihil reliquum permansit, sed rei domino, qui quod fatalitate ingruerat, etiam nullo intercedente contractu habiturus fuerat imputetur.

XXIII.

Quemadmodum autem incommoda, ex prædij emphyteutici diminutione, vel hostium incursione, & bellorum calamitatibus, provenientia, ad emphyteuticarium spectant: Ita, quoque, omne commodum & augmentum sive latens sit, sive apparens ad ipsum pertinet.

XXIV.

Unde si in fundo Emphyteutico inveniuntur fodina sive sectura auræ, argenti, plumbi, ferri, arena, lapidis, calcis, cretae & c. hæc Emphyteuta ut bonus paterfamilias uti frui poterit.

XXV.

Thesauros vero in agro vectigali repertos cum in fructibus non computentur, sed tantum fortuna donum credantur, ad emphyteutam non pertinere, sed inter fundi dominum & inventorem dividi debere ducimus.

XXVI.

Si vero vel maxime, vel per alluvionem, vel per insulam prædio Emphyteutico aliquid accesserit, ob tale tamen augmentum, canon seu pensio, quam Emphyteuta rei emphyteutica domino solvere tenetur, augeri non potest.

XXVII.

Alter Emphyteusim acquirendi concedendive modus ultima voluntas est: nam si testator alicui fundum in emphyteusim legat, & legatarius legatum agnoscat & approbet, rectè emphyteusim constitutam esse, extra omnem dubitationis aleam positum est.

XXVIII.

Tertiò comparatur emphyteusis præscriptione, tacito quasi domino.

domini & possidentis consensu, si quis nempe rem immobilem Ecclesie Reipubl. aut fisci 40. privatorum 30. annis tanquam Emphyteuta possederit, canone suo quotannis persoluto.

XXIX.

An vero quemadmodum quis jus Emphyteuticum sibi prescriptione canonem exolvens acquirit, ita quoque canone 40. vel 30. per annos non persoluto immunitatem pensionis prescribere possit, dubia questionis est? Negativam juri Romana congruam putamus.

XXX.

Constitutum & acquisitum rite emphyteusi jus habendum & possidendum rei statuitur emphyteuta, quinimo competit ei interdictum unde vi, novi operis nunciatio, actio arborum furtivae sarum, aqua arcenda, finium regundorum &c.

XXXI.

Deinde tribuitur ei jus alienandi, quod tamen ex constitutione Justiniani certis conditionibus temperatum est. Nam quatuor attendi debent in alienatione. 1. Ne conferatur in personas non idoneas. 2. Ut prius denunciatur domino. 3. Si cum denunciatio facta sit dominus emere noluerit. 4. Ut domino ad monito duos menses expectet emphyteuta.

XXXII.

His consequens est, ut dominus intra duos menses gaudeat jure prelacionis, quibus elapsis eum cui Emphyteuta jus suum vendidit non per conductorem vel procuratorem sed per seipsum, vel per depositionem, olim quidem apud magistrum census, hodie vero apud competentem magistratum, vel per attestationem, presentibus tabularijs factam, suscipere cogitur; qui pro susceptione quinquagesimam partem pretij vel estimationis rei venditae domino dare cogitur. Hanc quinquagesimam Interpp. laudemium, Graeci eius δελτιον appellant.

XXXIII.

Quod si praedij Emphyteutici dominus hac quinquagesima pretij

precij rei vendita parte oblata novum emphyteutam suscipere
decredet, tenetur emphyteuta attestatione interposita adhuc alios
duos menses expectare: quod si nec intra hos quidem dominus
novum Emphyteutam admittat, emphyteuta, totum jus à se abdi-
care, & in novum emphyteutam transferre, liberum est.

XXXIV.

An vero dominus si jure protimiseos uti velit idem pretium
solvere teneatur quod extraneus quaritur? Aff. nisi in defrau-
dationem domini immodica sit ab extraneo facta pretij oblatio.

XXXV.

Porro vocatur in dubium, an in sola venditione consensus
domini exigendus sit, an vero etiam in eo qui donat, permutat
&c. Existimamus emphyteutam jus suum inconsulto domino
donare, legare, locare, in dotem dare, permutare, vel op-
pignorare non prohiberi: ad rem tamen tradendam si perven-
tum fuerit, à Domino desiderandum est, ut in emptione, ut no-
vum emphyteutam suscipiat.

XXXVI.

Verum enimvero, an hoc etiam in emphyteusi Ecclesiastica
obtineat, questio est dubitationis plenissima? Affirm.

XXXVII.

Reliquum est ut de modis perimendi emphyteusin videa-
mus. Amittitur autem illa primo finita cui data erat genera-
tione, ea enim sublata emphyteusin quoque finire necesse est.

XXXVIII.

De eo controversatur, num emphyteusis Titio & ejus filijs
data, filiabus quoque concessa intelligatur? Quod affirm.

XXXIX.

Ita quoque dubium est, ecquid emphyteusis mihi & meis fi-
lijs concessa, etiam nepotibus meis tributa censeatur? Et tribu-
tam censerem benignior est opinio.

XL.

Deinde finitur emphyteusis tempore, ea siquidem ad certum

B

1810

tempus concessa eo lapsa ad dominum concedentem revertitur.

XLI.

Adhuc corrumpit emphyteusis, si Emphyteuta pactis inter ipsum & dominum rei Emphyteutica conventis stare, & legem emphyteuseos servare nolit: vel si dolo & culpa rem emphyteuticam, arbores fructiferas incidendo, sylvas exstirpando, vel simili aliquo modo insigniter deteriorem fecerit.

XLII.

Similiter emphyteuta amittit emphyteusim, si domino apochas fiscales tempore debito non reddiderit.

XLIII.

Sed & dubio caret, emphyteutam qui irrequisito domino & sine denunciatione legitima rem Emphyteuticam vendidit jure suo cadere.

XLIV.

Ita quoque ob mendacium emphyteuta privatur jure suo. Nam si scienter neget se esse emphyteutam, & rem esse emphyteuticam, & postea mendacii convincatur, haut dubie emphyteusim perdit.

XLV.

Denique emphyteuta emphyteusi excidit, si Canonem in civili quidem emphyteusi intra triennium, in Ecclesiastica intra biennium non solverit.

XLVI.

Nec emphyteuta pretendens, se super Canonis Emphyteutici solutione à domino interpellatum non esse, auditur, sed absque ulla interpellatione in mora constituitur.

XLVII.

Quinimò hanc moram per oblationem Canonis postea factam purgare non potest.

Si ta-

XLII X

Si tamen prædij Emphyteutici dominus Canonem post caducitatem incursum ab Emphyteuta recipiat, caducitatem ipsi remississe, & emphyteusin tacite renovasse intelligitur.

XLIX.

Idq; procedit omnimodo, siue præteriti siue futuri temporis Canonem acceperit; nisi præteriti temporis Canonem recipiendo, se caducitatem emphyteuta remittere nolle, protestatus sit. Quod si futuri temporis Canonem accipiendo, jus suum sibi fore salvum, protestetur, ejusmodi protestatio, ut pote factio contraria, ipsi non prodest.

L.

Sed ne dominis prædij Emphyteutici facultas oriatur, Emphyteutas suos repellere, & reditum minimè velle suscipere, & ex hujusmodi machinatione, triennio elapso, suo jure is qui emphyteusin accepit, cadat, licentia emphyteuta conceditur, attestatione præmissa pecunias offerre, hisq; obsignatis, & secundum legem depositis, minimè dejectionis timere periculum.

LI.

Quamquam vero emphyteuta, ob non solum legitimè Canonem, ipso jure prædio Emphyteutico excidat, haut tamen domino, illum propria autoritate absq; judicis decreto expellere, reiq; vectigalis possessionem occupare, permittitur.

LII.

Oritur ex hoc contractu actio, quam vectigalem Ulpianus, actionem de fundo vectigali propositam Papinianus appellat, qua licet Emphyteuta contra quemlibet possessorem experiri, hodie Emphyteuticam vel Emphyteuticariam instar hypothecariam non incommode dixeris. Deinde condictio ex lege, qua datur domino ad præstationem pensionis & meliorationum.

B 2

Corol.

Corollaria I.

An qui latroni, vi & metu coactus, redemptionis pretium promissit, fidem juratam adimplere teneatur? Neg.

II.

An Augustanæ confessionis socij Canonico jure in decisionibus causarum rectè utantur? Aff.

III.

Anne vigore Pacis religionis, tam Statibus Imperij quam subditis eorum, liberum utriusq; religionis exercitium sit permissum? videbimus,

IV.

An in benè constituta Republ. ferendæ religiones diversæ? Aff.

V.

An tortura pugnet cum principiis Theologicis & Politicis? Neg.

VI.

An foedera pro necessaria defensione & commerciorum libertate cum his qui diversum à nobis in religionis negotio sentiunt, inita, juri divino & humano sint contraria? Neg.

VII.


An uxor adultera amittat parapherna? Neg.


VIII.


An medicus cogatur mederi invitus? Aff.

IX.

An jus, hoc est, quid bonum, quid æquum, dependeat ex ipsa naturali ratione; an verò ex vaga tantum hominum opinione? Aff. pr.







the scale towards document

XLII X

Emphyteutici dominus Canonem post cadu-
b Emphyteuta recipiat, caducitatem ipsi re-
sistit tacite renovasse intelligitur.

XLIX.

minimodo, siue prateriti siue futuri temporis
si nisi prateriti temporis Canonem recipiendo,
Emphyteuta remittere nolle, protestatus sit. Quod
Canonem accipiendo, jus suum sibi fore saluum,
adi protestatio, utpote factio contraria, ipsi non

L.

pradij Emphyteutici facultas oriatur, Emphy-
teuta, & redditum minimè velle suscipere, & ex
actione, triennio elapso, suo jure is qui emphy-
teuta, licentia emphyteuta conceditur, attestati-
onibus offerre, hisq; ob signatis, & secundum legem
rejectionis timere periculum.

LI.

vero emphyteuta, ob non solum legitime Ca-
nondio Emphyteutico excidat, hanc tamen do-
minii auctoritate absq; judicis decreto expelle-
re possessionem occupare, permittitur.

LII.

contractu actio, quam vectigalem Ulpianus,
sive vectigali propositam Papinianus appellat,
actio contra quem libet possessorem experiri, ho-
milia vel Emphyteuticariam instar hypotecaria
experiri. Deinde condictio ex lege, quae datur do-
milio emphyteuticarii & meliorationum.

B 2

Corol.